

„suprema potestatis e: ga Regem & suam successionis
„sanguinis posteritatem tenebunt,“ Ita refert Philippus
Probus in Supplemento ad Tractatum *Juris Regalia* per
Arnolphum Ruzam, q. 2. n. 6. qui n. 7. allerit, ob hoc jura-
mentum, omnes Episcopos Regni Franciæ *fideles Consilia-
rios Regis* appellari.

XV. Nequaquam tamen sufficit hoc fidelitatis jura-
mentum præstitum esse, sed insuper requiritur, quod Lit-
teræ Regi attestantes dictum juramentum sic fuisse
præstitum (inquit Philippus Probus loco citato q. 3. n. 2.)
præsentatæ, registratæ & expeditæ fuerint in Camera
computorum: & quod Receptor seu Commissarius ad re-
ceptam ipsius Regaliæ receperit mandatum à prædicta
Camera emanatum, per quod mandetur quod leve ma-
num Regis, & permitat dictum Episcopum uti & gau-
dere, ponendo ipsam temporalitatem ad plenam deli-
berantiam: nec ante receptionem hujusmodi mandati à
dicto Receptore, seu Commissario, reputatur dicta Regalia
clausa, sed usque ad diem ipsius receptionis, tenetur ced-
dere computum & rationem de fructibus hujusmodi
temporalibus, & confert Rex beneficia tamquam in Re-
galia vacantiæ, & hoc de jure & consuetudine Regis &
sua Coronæ Franciæ.

XVI. Ut facilius intelligantur, quæ hic de apertione &
clausura Regalia dicuntur, notandum, Jus Regalia juxta
hodiernum, præcipue Regni Galliæ, stylum & modum lo-
quendi, esse Jus quo Rex Sede vacante sibi attribuit dispo-
sitionem omnium proventuum Episcopatus, & collationem
pleno jure omnium Beneficiorum non Curatorum
& liberam collationem Episcopii spectantium.

Dicitur ergo Regalia aperta, quando per mortem Epif-
copi, aut alio modo Sedes vacat, tunc enim Regi Jus Regalia
jam descriptum acquiritur, sive aperitur.

Manet autem aperta Regalia, sive Jus illud apud Regem
manet, quousque novus Episcopus præstito juramento, ac
litteris Regis obtentis & registratis, & manus Regiæ le-
vatione factâ possessionem Episcopatus per se acceperit,
quo demum, juxta modernam praxim, Regalia clauditur
sive Jus Regium tam quoad proventuum dispositionem,
quam Beneficiorum collationem extinguitur, & plena-

ria dispositio Episcopo defertur.

XVII. Porro de hoc Jure Regalia plura dicemus parte
secundâ, ubi de collatione Beneficiorum tractandum erit,
illud equidem sciendum, neque in Regno Galliæ jam pri-
dem omnes Episcopatus huic juri fuisse subjectos, uti pas-
sim Authores de illo Jure tractantes testantur; atque inter
ceteros Philippus Probus qui loco supra allegato q. 6. e.
numerat Archiepiscopatus & Episcopatus qui huic fue-
rint subjecti, & qui ab eo exempti manseruntque plures
Ecclesiæ ab hoc jure liberatæ; atque per Arresta Regia in ea li-
bertate conservatæ fuerunt usque ad annum 1673. quando
in conformitatem Arresti Parliamenti Parisiensis Rex de-
claravit, jus Regalia esse inalienabile & imprescriptibile;
illudque sibi generaliter in omnibus Archiepiscopatibus &
Episcopatibus sui Regni, ac ditionum suarum Obedientiæ
competere, iis solis exceptis, qui titulo oneroso sunt ex-
empti.

Conformiter ad hanc declarationem Regiam, & alte-
ram de 2. Aprilis 1675. prioris confirmativam & expla-
nativam, jus Regalia, Rege urgente, ac tandem etiam Cle-
ro consentiente, licet nonnullis Episcopis fortiter resi-
stentibus, ad omnes Ecclesias Metropolitanas & Cathedrales
extensum est.

XVIII. In Imperio quoad Regalia moderatius agitur,
uti notat Zypæus in Jure novo *De elect. n. 3.* ut Episcopi
qui & Principes sunt (ut sunt plerique) statim per se vel al-
ios juramenta debita præstent quidem, & Regalia ac
secula sua relevent; non tamen vacante Sede temporalia
tas ad manus Imperatoris ponitur, sed capitulum admi-
nistrat pro Successore: sed id forte, quia Pontifices Ger-
manos Imperatores Fredericum, Henricum &c. superâr-
runt: Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum aut Successo-
res non item.

Belgii Episcopatus, si Tornacensem excipiamus, juri
Regalia subjecti non sunt, unde temporalia per Capitu-
lum aut Oeconomum à Capitulo deputandum Sede va-
cante administrantur pro Successore; atque ipsa beneficia
collatio novo Episcopo reservatur; juxta ea quæ ti-
tulo 9. c. 2. dicta sunt.

TITULUS XV.

De Consecratione Episcoporum.

CAPUT I.

A quibus; intra quod tempus; & quo loco Consecra-
tio fieri debeat?

1. Præcipua in Consecratione auctoritas erat penes Me-
tropolitanum.
2. In conservanda hac Metropolitanorum auctoritate
valde religiosi fuerunt Romani Pontifices.
3. Suffraganeorum in Consecratione olim requisita fuit
præsentia, aut ut minus assensus.
4. Tres ut minus Episcopi debent esse præsentés.
5. Hac disciplina tam in Græca quam Latina Ecclesia et-
iam hodie obtinet.
6. Ratio hujus disciplinæ.
7. Præsentia plurimum Episcoporum spectat dumtaxat ad
disciplinam.
8. Necessitate cogente potest interdum ab hac disciplina
recedi; & à duobus Consecratio peragi.
9. Ita Ordinatus Pelagus I. Papa.
10. Etiam ab uno Episcopo fieri potest Consecratio, nec apud
Veteres desunt exempla.
11. Probatur auctoritate S. Gregorii.
12. Conformis est moderna praxis Curia Romana.

13. Quoad Consecratorem Episcoporum hodierna discipli-
na asserit, est à pristina.

14. Consecratio tam ex veteri, quam moderna disciplinam
debet fieri intra tres menses.

15. Est tamen differentia in tempore à quo tres menses
computari debent.

16. Quo in loco fieri debeat?

Ræcipuam in confirmatione Episcoporum
auctoritatem per duodecim & amplius
secula fuisse penes Metropolitanos, titu-
lo præcedenti abundè probatum fuit.
Cum verò confirmatio ab ipsa Consecra-
tione vix sejungeretur, sed Metropolitanus unâ cum Epif-
copis Comprovincialibus, examine supra electionis for-
ma ac persona electa facta, ad Ordinationem seu Consecra-
tionem procederet; si electionem canonicam & per-
sonam electam idoneam reperisset, mirum non est, si pri-
mas quoque in Consecratione Episcoporum partes duode-
cim faculis Metropolitanæ delatas esse videamus.

Et quidem Canone 6. Nicæno dicitur: „Illud generali-
ter est clarum, quod si quis præter sententiam Metropolita-
ni fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus diffi-
nit Episcopum esse non oportere.“ Apud Gratianum
Dist. 64. Can. 8.

Hinc

Tit. XV. De Consecratione Episcoporum. Cap. I. 95

Hinc illud Innocentii I. ad Victricium Episcopum: Ex-
tra conscientiam Metropolitanæ Episcopi, nullus audeat
ordinare Episcopum. Hoc enim & Synodus Nicæna
constituit atque definit, Gratianus ibidem *can. 5.*

II. Eam Metropolitanam in consecrandis Episcopis suis
suffraganeis prærogativam pluribus inculcat Gelasius I.
apud Gratianum loco citato *can. 6.* atque in illa conservan-
da adeo erant religiosi Pontifices, ut Stephanus VI. ne hanc
perturbaret, Lingonensem à populo & Clero citè electum
& Romam pro Consecratione cum decreto electionis
mittit (reculante nimirum Lugdunensi Metropolitanum
eum consecrare) illum consecrare bis tenuerit, ac repule-
rit, ad Lugdunensem scribens & rescribens, ut ipse suo
munere in hujus Consecratione fungeretur; tertio de-
mum interpellatus, vix magna Lugdunensis pertinaciâ
coactus, illum consecravit; uti laudat ex Frodoardo in hi-
storia Remensi refert Baronius ad annum 885.

Similiter Gregorius VII. licet ipse Robertum Carno-
tensem ab Episcopatu deposuisset; non tamen propterea
sibi alterius fuisse electionem aut ordinationem referavit;
sed ad ordinarios tam electores, quam Consecratores il-
lum rejecit. Simoniensi enim Metropolitanum & Suffraga-
neis ita scribit: „Ecclesiam illam (Carnotensem) Canoni-
cam electionem in aliquam idoneam personam facere
admonuimus; ad monitionem & vos, ut eidem electioni e-
am quam oportet aut per vos, aut idoneos nuntios ve-
stros diligentiam adhibentes, quem electum Canonicè
cognoveritis, & manus imponere, & in Episcopum Con-
secrare, nullâ occasione recusetis.“ *Lib. 4. Epist. 15.*

III. Porro licet præcipua fuerit in Episcoporum confir-
matione & Consecratione penes Metropolitanum aucto-
ritas, aliorum tamen Suffraganeorum seu Comprovincia-
lium nequaquam negligendus erat consensus, & aucto-
ritas.

Confirmationem enim Episcoporum Metropolitanam
& Episcopis Suffraganeis per Canones Nicænos aliisque
subsequentes per continuam decem sæculorum seriem
delatam fuisse supra ostendimus. Cumque ordinatio sive
Consecratio à confirmatione necdum esset sejuncta eti-
am Consecrationem Episcoporum, Metropolitanam cum
Episcopis Comprovincialibus delatam fuisse cognoscimus;
idque uno consensu Theologi & Canonici fatentur;
eaque disciplinam etiam Jure communi seu Decretali-
um conservatam tradunt ad *Cap. 7. De Temp. Ordin.*

IV. Verum quia difficile erat ad omnem Episcopi ordi-
nationem omnes Provinciarum Episcopos personaliter con-
venire & assistere, Canone 4. Nicæno cautum fuit, ut si
hoc difficile fuerit vel aliqua urgente necessitate, vel i-
tineris longitudine, certè tres Episcopi debeant in unum
congregari; ut etiam cæterorum, qui absentes sunt,
consensum in litteris teneant, & ita faciant ordinatio-
nem. „Gratianus *Dist. 64. can. 1.*

V. Et licet tum præsentis Canon, tum plerique alii eandem
disciplinam præscribentes, videantur non tantum de
Consecratione, sed vel præcipue de electione & confir-
matione Episcopi agere; nihilominus ex hisce Canonibus
stabilita ac conservata fuit in Græca pariter ac Latina Ec-
clesia hæc disciplina, ut ad Consecrationem Episco-
pi convenire, eique personaliter assistere debeant, præter
Metropolitanum aliumve Episcopum ordinantem, duo
alii Episcopi.

Ad hæc (ait modernum Pontificale Romanum *Titulo
De Consecratione Electi in Episcopum*) duo ad minus Epif-
copi assistentes. Et rituale Græcorum ordinem in Consecra-
tione Episcopi servandum præscribens, ait: „Tres vero
Pontifices sive etiam plures, Pontificium omnem orna-
tum induti in sellis suis sedent ante sacras sancti altaris
fores.“

VI. Rationem hujus disciplinæ jam pridem assignavit
Innocentius I. in epistola ad Victricium apud Gratianum
Dist. 64. can. 4. „Ne unus Episcopus ordinare præsumat
Episcopum, ne, ait, futurum Beneficium præstitum vi-

deatur. Hoc enim & in Nicæna Synodo constitutum est
, atque definitum.“

Quasi diceat; noluit Synodus ut Episcopus furivè sive
tamquam fur clam in Olive Christi ascendat; sed publice,
id est, Ecclesiâ universâ, per cujusque Provinciarum Episcopos
repræsentatâ, probante & assentiente.

Non abstruse hujus disciplinæ rationem dedit S.
Anselmus Cantuariensis in litteris ad Regem Hiberniæ;
inprobans in Regno illo, ab uno Episcopo Episcopum sicut
quemlibet Presbyterum ordinari, subiungit: „Minus quam
à tribus Episcopis ordinari non debet; cum propter
multas alias & rationabiles causas, quas epistolæ bre-
vitas non admittit; tum ut fides, vita, & sollicitudo ejus
qui invigilare debet idoneis & legalibus testibus com-
probetur.“ *Lib. 3. epist. 147.*

VII. Hic nota, nec Innocentium, nec Anselmum Epif-
coporum Ordinationes sive Consecrationes sine legi-
mo Episcoporum numero factas, tamquam nullas in valida-
que rejicere; sed solum arguere, eas clandestinè ac sine legi-
tima quasi approbatione peragi; ipsorumque Episcopo-
rum præsentiam non tam ad substantiam & validitatem
Consecrationis, quam ad discutiendam & comprobandam
Ordinationem requirere; quod & probat absentium
Episcoporum Comprovincialium per litteras requisitus
consensus.

VIII. Licet ergo disciplina hæc, utpote ab Apostolis no-
bis tradita, & hæcenus in Ecclesia conservata, merito reli-
giosè observetur, nihilominus, sicut in aliis disciplinæ ar-
ticularis contingit, necessitate cogente, ex Superiorum judi-
cio, ab ea non nihil recedi posse, & ratio & auctoritas
probant.

Et quidem in Constitutionibus Ecclesiæ Alexandrinæ
sub nomine Apostolorum præcipitur, Ut ordinetur Epif-
copus à tribus Episcopis; necessitate vero cogente à DUO-
BUS. Apud Guilelmum Beveregium in notis ad Cano-
nem 1. Apostolorum.

Et in Constitutionibus vulgè Apostolorum *lib. 3. c. 20.*
„Jubemus autem ut à tribus Episcopis Episcopus ordi-
netur, & ut minimum à duobus; ita ut ab uno constitui
non possit; testimonium enim duorum & trium firmius
est & certum.“

IX. Sic Ordinatus est Pelagus I. Episcopus Romanus à
duobus Episcopis & uno Presbytero, scilicet, „Dum non
essent Episcopi qui eum ordinarent, inventi sunt duo E-
piscopi, Joannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & An-
dreas Presbyter de Ostia, & eum ordinarunt Pontifi-
cem; tunc enim non erant in Clero qui poterant eum
promovere.“ Anastasius Bibliothecarius in ejus vita.

X. Quin & eadem necessitate urgente quidam ab uno
Episcopo Episcopus ordinari possit; cum licet trium ita
quoque duorum præsentia ad disciplinam, non ad substantiam
seu essentiam Consecrationis spectare videatur; nec
desunt apud veteres hujusmodi ordinationis exempla.

Synellius Siderium Palæstine Episcopum à Philone Cy-
renensi solo ordinatum fuisse refert; additque Verum in
temporibus formidolosissimum jus prætermitti necesse
est. *Epist. 67.*

XI. Sed in hanc rem dignissima notatu est S. Gregorii
ad Augustinum Anglorum Apostolum responsio. Interro-
gaverat eum Augustinus, „Si longinquitas itineris magna
interjaceat, ut Episcopi non facile valeant convenire,
an debeat sine aliorum Episcoporum præsentia Episco-
pus ordinari?“ Respondit Gregorius: „Et quidem in An-
gloriam Ecclesia, in qua adhuc solus Episcopus inventus,
ordinare Episcopum non aliter nisi sine Episcopis po-
tes.“ Ita Beda in Hist. Angl. *lib. 1. c. 27.* à quo primum
hanc epistolam accepimus; uti notat Vir Eruditus Petrus
Guffanius in notis ad hanc epistolam, quæ est, 31. lib.
12. observatque; tam ex antiquis quam recentioribus edi-
tionibus, codicibus manuscriptis, & auctoribus Ecclesia-
sticis, hanc esse genuinam epistolæ lectionem, vitiosam
verò quorundam exemplarum quæ habet: Ordinare E-
pisco-